Valeton

LIBRARY
OF THE
UNIVERSITY OF ILLINOIS

16 S '14

DE MODIS AUSPICANDI ROMANORUM.

SCRIPSIT

I. M. J. VALETON.

(*Continuantur ex huius Vol. pag.* 325).

II.

§ 1. De divisione signorum et de modis auspicandi.

Quid de generibus auspiciorum et de modis auspicandi tenuerint antiqui, apud nullum auctorem, cuius quidem nobis servatum sit opus, diligentius indagatum et plenius expositum invenimus quam in adnotationibus Servii, quae dicuntur, ad carmina Vergilii; quamquam sententiae breves et abruptae quae per eas adnotationes dispersae nobis relictae sunt, neque per se perspicuae sunt omnes neque apte cohaerent. Sed ob eam causam a definitionibus et divisionibus, quas Servius proposuit, initium mihi faciendum esse arbitror; cum vero ratio huius rei duplex sit, et fieri possit ut qui recte quidem diviserit, idem tamen perperam definiverit et adversus usum loquendi vulgatum nomina rebus indiderit, simul quaerendum nobis esse videtur num ratione quadam vera et naturali nitatur eius divisio possitque ob eam causam a nobis probari, simul vero num de usu vocabulorum, quem adhibeat Servius, consentiant reliqui auctores. Ratio autem qua nititur divisio, huiusmodi est:

Quae in rerum natura accidunt, ad religionem non pertinere manifestum est si aut non observantur, aut observantur ab aliquo homine qui nihil habere sibi videatur, cur ad certam rem

referat quod viderit; fulmen vel avis vel aliquid eiusmodi tum demum auspicium esse coepit, cum observetur ab aliquo qui ea re utatur ad voluntatem deorum de certa quadam re cognoscendam; i. e. qui interpretetur quod viderit. Itaque iam statim apparet, aliud esse observare fulmen vel avem, aliud observare auspicium de caelo vel ex avibus. Iamvero cum hoc modo iam ab initio cogamur, quaerentes quid sit auspicium, responsum petere non ex specie rerum observatarum, sed ex consiliis eius qui observat, consentaneum est ut etiam longius pergamus, et ipsa auspicia diligentius distinguamus secundum condicionem qua versetur is qui observat. Fieri enim potest, ut signum inexpectatum superveniat homini alicui alia omnia eo tempore agenti, qui tum demum a deis admonitus coeperit in animo suo referre id quod observavit ad rem quam meditetur; tum id quod accidit, auspicium quidem est, sed non petitum et fortuito conspectum, sive ultro a deis oblatum. Fieri vero etiam potest, ut signum conspiciatur ab eo qui antea deos de certa re interrogare instituerit, quique signum sibi oblatum accipiat tamquam responsum a deis missum. Atqui Servius statuit, illa quae petita non sint, proprie et unice auspicia dicenda esse, eumque qui ea fortuito observet, auspicari; haec vero, quae a deis offerri credantur ut ad interrogationem respondeant, auguria dicenda esse, et eum qui interrogando exquirat voluntatem deorum, augurium agere. Locos quibus haec exposuit Servius, adscribam.

1º ad Aen. 4. 341: *in iure augurali, auspicium dicitur, quod non petentibus nobis, ad ea quae in animo habemus, iure ominis offertur* [1]).

2º ad Aen. 3. 375: *auspicium autem est volatus avium, qui indicat agendum vel omittendum esse quod quis coeperit.*

3º ad Aen. 3. 20: *sed auspicia omnium rerum sunt, auguria certarum. Auspicari enim cuivis, etiam peregre, licet, augurium agere nisi in patriis sedibus non licet.* — Ad hunc locum adnotandum est, vocabula auspicia et auguria h. l. ut saepe (cfr.

1) Isidorus quoque (Or. 8. 9) videtur voc. *auspicium* referre ad *observationes* quas dicit *improvisas hominibus occurrentes*, cum statuat: *nam auspicia sunt, quae iter facientes observant.*

ad Aen. 1. 393, et infra sub 4⁰ et 5⁰) a Servio adhiberi sensu artiore, quo ad signa ex caelo et ex avibus sola referantur; signa ex pullis, quae alibi (ad Aen. 3. 91 et 6. 198) ad auguria referuntur, et ex extis, h. l. non comprehendit illis vocabulis. Discimus autem ex hoc loco, Romanis in agro peregrino etiam licuisse interpretari signa ex caelo et ex avibus quae fortuito observata essent, non vero his signis petitis interrogare deos, quod revera ab auguribus et magistratibus numquam factum esse extra agrum Romanum satis constat.

4⁰ ad Aen. 2. 703: *augurium, exquisita deorum voluntas, per consultationem avium aut signorum.*

5⁰ ad Aen. 3. 89: *augurium enim est exquisita dei voluntas, per consultationem avium aut signorum. Quod tunc peti debet, cum id quod animo agitamus per augurium a deis volumus impetratum, ut in hoc loco Aeneas, postquam omnia quae volvebat animo petiit, ait:* da pater augurium.

6⁰ ad Aen. 1. 398: *multi tamen asserunt, cygnos inter augurales aves non inveniri, neque auguralibus commentariis eorum nomen illatum. Sed in libris reconditis lectum esse, posse quamlibet avem auspicium attestari, maxime quia non poscatur. Hoc enim interest inter augurium et auspicium, quod augurium et petitur et certis avibus ostenditur, auspicium qualibet avi demonstratur et non petitur; quod ipsum tamen species augurii est.* — Novissima parte huius sententiae male conformata Servius statuit auspicia esse signa non petita, et contineri avibus quibuslibet, augurii vero duas esse species, quarum altera contineatur certis avibus in legum dictione nuncupatis (impetrativis), altera vero praebeatur avibus quibuslibet, si ab eo qui deos interroget legum dictio nulla est proposita.

7⁰ ad Aen. 3. 375: *Ergo (auspicia) maiora sunt, quibus praeter tripudium auspicari ius sit; neque precatio adhibetur, sicut hoc loco nullum deum precatur Aeneas . . . . . Auspicia maiora, aut maioribus, dicuntur, quibus augurium avium aliarumque rerum eripitur: utputa si parra vel picus auspicium, et deinde contrarium aquila dederit, auspicium aquilae praevalet. Ergo, quia notum est esse apud augures auspiciorum gradus plures, et augur loquitur auguriorum perita, ideo* maioribus auspiciis *dixit.* — Confitendum est, his verbis parum sibi constare Servium, si-

quidem tamquam exemplum *augurii* erepti affert *auspicium* quod dederit parra vel picus. Sed recte se habere videtur quod dicit, auspiciorum, non vero auguriorum, esse gradus diversos. Nam si quis deus interrogavit, pro responso deorum ab eo accipitur id quod primum observavit, et interrogare statim desinat necesse est quia responsum accepit; sin vero interrogandi nondum finem fecit, responsum nondum accepit quod eripi possit. Itaque si quid post responsum acceptum ab eodem insuper observatur quod contrarium sit ei quod antea vidit, id necessario pertinet ad ea quae fortuito conspiciuntur, quae a Servio *auspicia* dicuntur. His convenit alius locus (8⁰ ad Aen. 2. 693: de caelo lapsa; *hoc auspicium cum de caelo sit, verbo augurum maximum appellatur*); de signis petitis enim (quae auguria dicit Servius) inter se maioribus aut maximis aut minoribus omnino sermo esse non potest. — Quod autem ad priorem partem sententiae quam sub 7⁰ posui attinet, Servius dicere videtur, ducibus Romanis extra agrum Romanum degentibus, ius non fuisse signa (auguria) petere ex avibus, praeterquam ex pullis; signa autem maiora, quibus praeterea in agro peregrino uti eis liceret (cfr. ex. gr. Obseq. 65, a. 48), quae eripere possent signa aut antea in urbe visa, aut nuper in castris ex pullis accepta, necessario fuisse non petita, i. e. auspicia.

Divisionem signorum, quam his locis proposuit Servius, veram esse et prorsus necessariam satis apparuit. Sed antequam pergamus exponere reliquas divisiones ab eo illatas, quaerendum esse videtur quid tenendum sit de eius definitione vocabulorum *auspicium* et *auspicari*, *augurium* et *augurium agere*. Quod contra eam arguerunt nonnulli viri docti, Servium in reliqua parte divisionis ipsum ab ea aberravisse [1]), id minus recte, opinor, contenditur, ut infra etiam apparebit. Constanter etiam eam servavit Servius cum aliis locis, tum ubi formula utitur „auguria captare", non vero „auspicia captare", cum signa quae captentur secundum eum non sint auspicia [2]). Confitendum etiam est, hanc distinctionem utriusque vocabuli ab etymo haud displicere, siquidem licet, sicut auspicium a spi-

1) Rubino Unters. p. 45. n. 1. — 2) Serv. Aen. 1. 92; 2. 178; 6. 191; 198; 777; 779; 9. 4; 448 et passim.

ciendo, ita augurium a gerendo derivare [1]). Neque facile aliam distinctionem ei substitueris, quae sufficiat; minime certe placet distinctio quam tentavit Rubino (adn. 1): „in der ersten Eigenschaft (als auspex) beobachtete, in der zweiten (als augur) deutete (dieselbe Person) die Zeichen, was häufig zusammenfiel''; nam signum aliquod quatenus observatur tantummodo necdum refertur ad certam rem, neque auspicium est neque augurium. Revera illam distinctionem non a Servio fictam esse, sed vero aliquo niti crediderim; fieri potest ut eam servare soliti fuerint augures. Sed tamen nobis eam servandam esse non censeo. Nam vulgata consuetudo loquendi Romanorum eam prorsus omisit. Sunt quidem loci aliquot qui non repugnent, cum ibi „augurium'' et „auspicium'' iuxta posita sint, et liberum fere sit cuique ea vocabula distinguere quemadmodum placeat [2]). Sed praeterea neque in vocabulo „augurium'', quod vulgo adhibetur sensu latissimo, ut fere complectatur omen quodvis, quin etiam „rerum omnium coniecturas prudenter ac diligenter factas'' (Non. p. 429), neque vero in formulis huiusmodi „auspiciis operam dare'', „auspicia habere'', „alicui in auspicio esse'' et multis aliis, illius distinctionis ullum vestigium comparet. Ipsum suum Vergilium laxe usum esse vocabulo „augurium'' adnotat Servius ad Aen. 3. 5; quae de „auguriis'' scribit, saepissime non recte ab eo referuntur ad signa apud Vergilium descripta, quae cum magna ex parte essent fortuito aut peregre conspecta, auguria a Servio dici non debuerant. Apud alios auctores quoque multa inveniuntur quae repugnent distinctioni Servii; sic apud Ennium; et apud Varronem „locus augurii aut auspicii causa finitus'' [3]). Quod autem „augurium agere'' dicit Servius, saepissime apud alios dicitur „auspicari'' [4]). Has ob causas non solum omitto quaerere numquid inter vocabula „augurium'' et „auspicium'' interesse voluerint ei auctores, qui utroque vocabulo iuxta posito utantur, quia id frustra quaeri credo [5]); sed etiam ipse nulla differentia servata his vocabulis promiscue utar.

---

1) Fest. p. 2; Serv. Aen. 5. 523. Contra dicunt Lange R. A. 1. p. 332 sq., Nissen Templum p. 5. n. 1; tuetur Mommsen St. 1³. p. 104 n. 4. — 2) Ex. gr. Cic. div. 1. 15. 28; 1. 47. 105; Liv. 26. 41. — 3) Enn. Ann. 1 fr. 59 vs. 74; Varro supr. p. 278 n. 1. — 4) Ex. gr. Cic. div. 2. 35. 74. — 5) Etiam non tanti esse

Quod vero ad voc. „auspicari" attinet, id eo sensu solo adhibere praestat, credo, quo „augurium agere" dicit Servius; quod a Servio dicitur „auspicari" (fortuito observare et interpretari auspicium aliquod non petitum), ab eo vocabulo secludendum esse arbitror; auspicari vulgo non dicitur qui alia omnia agens subito admonetur auspicio non petito, sed qui caerimoniam certam peragit qua deos consulat [1]). Deiotarus cum ex tali signo efficeret voluntatem deorum, a Cicerone „auguratus esse" (i. e. coniectasse) dicitur quidem [2]), non vero „auspicatus esse". Auspicari ad eos solos referri, qui data opera exquirunt voluntatem deorum, etiam hoc exemplo confirmatur. Fulmen enim, a privatis observatum, ab eis adhiberi potuit tamquam auspicium, et licuit eis si id inter comitia observaverant nuntiare magistratui comitia habenti, licuit si nuptias ipsi acturi erant, propter hoc auspicium eas differre [3]); atqui notum est, privatis per legem non licuisse „de caelo auspicari" [4]); inde apparet eos qui auspicium de caelo fortuito observent, hac lege non dici de caelo auspicari.

Superest divisio signorum petitorum. Qui deos interrogat, duos modos habet quibus utatur; potest aut, legum dictione adhibita, certa signa nuncupare quae sibi mitti velit; aut vero de signorum genere nihil praecipiens, precatione sollemni tantum deos invocare potest et signa quaelibet rogare, ex sui animi sententia interpretaturus quidquid sibi oblatum erit. Illa signa autem impetrativa dicit Servius, haec vero oblativa. Recte autem auguriorum (signorum petitorum) duas species has esse statuit; nam etsi voc. „oblativus" *etiam* cadit in signa fortuito conspecta, aeque tamen pertinet ad alteram speciem signorum petitorum, et haec quoque oblativa sunt quatenus ipsa deis eligenda relicta sunt. Eo pertinent hi loci:

---

putavi exponere quibus locis et quam crebro *auguria* dicantur ea quae ab *auguribus* observantur et fiunt, *auspicia* quae a *magistratibus* (cfr. Liv. 1. 36. 6, Cato Orig. VII fr. 2 Jordan p. 27, et passim), quia ne ea quidem distinctio ubique servata est. — 1) Veluti in hac sententia Macrobii (1. 3. 7): „magistratus, quando uno die eis et auspicandum est et id agendum super quo processit auspicium, post mediam noctem auspicantur et post exortum solem agunt auspicatique (esse) et egisse eodem die dicuntur". — 2) Cic. div. 1. 15. 27. — 3) Serv. ad Aen. 4. 339; 4. 166. — 4) Varr. ap. Non. p. 92.

9° ad Aen. 3.89 (antecedunt ea quae supr. sub 5° posui) *et est species ista augurii quae legum dictio appellatur*, et q. s., vid. supr. p. 285 n. 2.

10° ad Aen. 1.398: *hoc enim interest inter augurium et auspicium, quod augurium et petitur et certis avibus ostenditur, auspicium qualibet avi demonstratur et non petitur; quod ipsum tamen species augurii est.* — De hoc loco vid. supr. sub 6°.

11° ad Aen. 6.190: *auguria aut oblativa sunt, quae non poscuntur, sed casu eveniunt, aut impetrativa, quae optata veniunt. Hoc ergo quia oblativum est, ideo* (*Vergilius*) *dixit* forte. *Bene autem a columbis Aeneae datur augurium .... nam ad reges pertinet columbarium augurium*, et q. s. Signa precatione petita, si impetrativa non sint, recte h. l. dici „casu'' evenire, supra monui. A parte deorum enim nihil *casu* evenire dici potest, ne signum fortuito conspectum quidem, quia omnia reguntur deorum voluntate; a parte eius vero qui observat, aquila aeque „casu'' apparet si nullum signum rogatum est, aeque si signum rogatum est sine definitione.

12° ad Aen. 12.246: *namque hoc augurium non oblativum est nec impetratum, sed immissum factione Iuturnae; quod carere fide, indicat sedes negata.*

13° ad Aen. 12.260: *nam in oblativis auguriis in potestate videntis est, utrum id ad se pertinere velit, an refutet et abominetur.* De hoc loco infra videbimus.

His locis autem non solum divisionem optime se habere iam satis apparuit, sed etiam de vocabulorum definitione nullum dubium esse potest. Etenim, quamquam *rem* vel *actionem* impetrare recte dicitur quicunque prospera auspicia accipit, et *res* impetrari potest cum ex signis impetrativis tum ex oblativis, cuius locutionis sunt multa exempla [1]), *signa* tamen impetrare [2]) is solus dici potest, qui certum signum in legum dictione nun-

1) Cic. div. 1.15.28: „nam ut nunc extis, sic tum avibus magnae res impetriri solebant''. — Liv. 27.23: „per dies aliquot hostiae maiores sine litatione caesae, diuque non impetrata pax deorum''. — Plaut. Asin. 259: „impetritum, inauguratumst, quovis admittunt aves''. — Schol. Stat. Theb. 10.610: „litare est per immolationem hostiarum impetrare quod postulas''; hoc aeque cadit in hostias consultatorias, ubi signum est impetritum, aeque in honorarias, ubi signa sunt oblativa. — 2) De *signis* impetrativis praeterea etiam mentionem facit Serv. ad Aen. 12.159.

cupavit; quodsi verum est, consentaneum est ut reliqua omnia, sive fortuito conspecta sunt, sive precatione rogata et sedulo quaesita, oblativa dicamus.

Quod autem attinet ad signa impetrativa, primum animadvertendum est ea necessario prospera fuisse si observarentur. Non quod per se cogitari non possit, in legum dictione etiam nuncupari signa certa *prohibentia*, quae si observaverit se in adversam partem interpretaturum esse dicat auspicans. Sed primum exemplis constat hoc alienum fuisse a consuetudine veterum [1]); deinde haec signa *impetrativa* dici non possent; nomen ipsum ostendit, sola nuncupata esse signa quae quis mitti vellet et precibus excitare conaretur, non vero quae mitti nollet. — Deinde animadvertendum est, eis qui de avibus vel de caelo quaererent signa impetrativa (quod Italicos solos fere fecisse infra ostendam), necessario faciendum et deis monstrandum fuisse templum aërium i. e. locum finitum in caelo et aëre et terra, quo signa expectarent. Id non item cadit in eos qui ex pullis vel extis auspicantur, horum signorum vis enim non pendet ex locis. Sed qui ex avibus vel de caelo auspicaturus signum certum posceret, si loco non definito in universum rogaret avem certam vel fulmen quodlibet, prorsus aberraturus esset ab interpretatione naturali horum signorum, quam, ut antea ostendi, fere totam e loco et regione pendere ducebant antiqui; id autem non committendum esse putaverunt Romani, neque tam arbitrarie cum deis agere sibi licere, ut in legum dictione temere neglegerent vim quam signis deos ipsos attribuisse scirent. Hoc in pico et cornice, in corvo et parra, diligenter observatum esse, ne in legum dictione aliter nuncuparentur quam sineret disciplina auguralis, et picum in legum dictione semper a laeva manu videndum, parram a dextra, petitum esse, constat. Itaque in fulmine aeque id valuerit necesse est; qui fulmen in legum dictione postulat, non aliud poscere potest quam fulmen Orientale, quia id solum sinistrum est. Sed ob eandem causam etiam omnia signa ex avibus sinistra (prospera), cum picus et parra, tum aquila vel avis

1) Cfr. Liv. 1. 18. 9: „tum peregit verbis auspicia, quae mitti vellet"; et observationes auspiciorum in tabulis Iguvinis descriptae.

quaelibet, ita postulata sint necesse est, ut ab Orientali parte in caelo et aëre et terra viderentur, quia ibi solum signa sunt „laeva" (a deis), et ita unice factum esse potest ut vocabulum sinister (prosper) idem significare coeperit quod vocabulum „laevus" (a deis), i. e., Orientalis. — Atqui, ut signa Orientalia (sinistra) impetrentur, templo aërio et certa directione opus est.

Quod vero ad oblativa attinet, Servius docere videtur, eis qui precatione dicta, auspicandi caerimonia inita, signa observarent quae oblaturus esset deus, etiamsi certa signa non poposcissent, tamen secundum disciplinam Romanam aeque licuisse quidem omnibus signis quae acciperent uti, aeque vero etiam licuisse ex eis signis quae conspicerent nonnulla reicere, quod ea ad ipsos non pertinere praeciperet doctrina auguralis; quod non item liceret eis qui alia omnia agentes auspicia fortuito observassent. De his enim regulam valere (supr. sub 6⁰): *posse quamlibet avem auspicium attestari maxime quia non poscatur*, de illis vero qui auspicandi caerimoniam peragerent alteram regulam (supr. sub 13⁰): *in oblativis auguriis in potestate videntis esse utrum id ad se pertinere velit an refutet et abominetur*. Huc igitur pertinere videtur:

14⁰ ad Aen. 1. 393: *nec omnes (aves) nec omnibus dant auguria: ut columbae non nisi regibus dant; quia numquam singulae volant, sicut rex numquam solus incedit ....; item cygni nullis dant nisi nautis* [1]). — Cum autem satis parvus fuerit numerus avium, quarum mentio fieret in disciplina augurali Romana [2]), cum ex. gr. cygni omnino „neque in praepetibus neque in oscinibus nominata fuerint" [3]), civi Romano auspicia captanti licuisse videtur, si cygnos conspiceret vel columbas vel alia nonnulla, haec signa reicere si mallet quod ad ipsum non pertinerent, licuisse vero etiam eis uti si ea interpretando ad se recte referre posse sibi videretur, quemadmodum apud Vergilium (Aen. 1. 393 sqq.) cygnorum augurio Aeneam usum esse statuit Servius. Haec autem, etsi magna ex parte pertinent ad prae-

---

1) Cfr. ad Aen. 6. 190: „bene autem a columbis Aeneae datur augurium, et filio Veneris, cui columbae sunt consecratae, et regi, nam ad reges pertinet columbarium augurium, quia numquam solae sunt." — 2) Cic. div. 2. 36. 76: „omnibus fere avibus utuntur (externi), nos admodum paucis". Cfr. Plin. 10. 37. — 3) Serv. Aen. 1. 393, cf. 1. 398 supr. sub 6⁰.

cepta illa recondita disciplinae auguralis, quae ego, si omnino fieri possit, certe h. l. perscrutari nolim, tamen una ex parte a nobis diligenter attendi debent, quia copiam praebent explicandae rei ceteroquin obscurae, ad auspicia publica Romana pertinentis. — Tribunos plebis enim saepe de caelo auspicatos esse novimus, ut haberent quo obnuntiarent conciliis aut comitiis cum leges ferrentur. Ea fulmina autem, a tribunis pl. observata, impetrata non fuisse constat, primum quod prohibentia erant signa, deinde quod signis impetratis uti non licebat tribunis pl.; fuerunt igitur oblativa. Nihilominus, cum auspicarentur tribuni, solorum fulminum ab eis rationem habitam esse constat; quod quomodo licuerit, per se minime clarum esse videtur. Nam qui coepit auspicari, deos precatus ut signa mitterent quibus voluntatem suam de actione futura declararent, legum dictione non recitata, qua deos edoceret de signis quae mitti vellet, is, si signum quodcunque, quod primum observaret, pro deorum responso haberet necesse esset, statim eo contentus auspicandi finem facere deberet; absurdum esset credere, ei licuisse primo responso spreto, expectare responsum secundum, deinde tertium et ita deinceps, donec observasset signum maius prohibens quod animo meditaretur, fulmen; hoc ne a tribunis pl. factum esse crederent, opinor, fuerunt qui statuerent ea fulmina fuisse impetrativa, quamquam id ipsum nullo modo approbari potest ob illas causas quas dixi. Sed solvitur difficultas, cum a Servio discamus, eos qui auspicarentur ex signis oblativis in potestate sua habuisse ea signa refutare et abominari quae ad se pertinere nollent. Ita clarum est, tribunum plebis auspicantem, quamvis fulmen minime posceret, tamen omnia signa alius generis, quae post precationem dictam forte conspiceret, reicere potuisse quod ad se non pertinerent, et potuisse fulmen expectare. Omnino hac ratione demum explicatur, qui fieri potuerit ut aliquis, cum signa oblativa sine definitione rogasset, tamen de caelo et avibus solis auspicaretur si vellet; licuit enim, si qua alia signa interea forte ab eo observabantur, haec omittere, et de ea re etiam antea deos certiores facere potuit, cum tamen impetrativa non nuncuparet.

Redeuntes ad divisionem signorum, statuimus, tria fuisse genera auspiciorum haec: f o r t u i t o c o n s p e c t a, o b l a t i v a

quaesita, impetrita. Itaque superest ut videamus, quot fuerint modi observandi et auspicandi.

Non omnes enim auspicari, qui auspicia observent, iam supra monui (p. 423). Primum nemo auspicatur, qui non ipse quod visum vel nuntiatum sit referat ad certam rem vel actionem. Huic enim id quod vidit *auspicium* non est factum, sed fulmen vel avis mansit. Deinde nemo auspicatur, qui non certa caerimonia rite inita, deos precatus, data opera signa conquirat de certa quadam re (quod etiam *auspiciis operam dare* dicitur). Has ob causas non auspicatur is qui ab auspicante tamquam auxiliarius vel administer adhibetur, ut „in auspicio ei sit'', i. e. ut nuntiet quidquid observat; quod ab eo nuntiatur, tum demum auspicium fit, cum nuntiatio accipiatur ab auspicante. Sic pullarius qui auspiciis adest, si nuntiat „aquilam vel fulmen visum esse'', „pullas pasci'', „exta contraria esse'', non auspicatur; sed auspicatur magistratus cui nuntiat. Sic augur qui in ipsis actionibus publicis magistratuum nonnullis (veluti in comitiis et conciliis et senatu et censu habendis) in auspicio est, si aut ipse observavit aliquid aut a magistratu vocatus vel ab alio homine certior factus aliquid factum esse cognovit, si voce edita „alio die'' nuntiat magistratui id quod factum sit vitiasse eius auspicia, tamen non est auspicatus. Denique privati, si in comitiis, tonitru audito vel vi morbi comitialis aliquo correpto, acclamatione testantur et referunt quod accidit, non magis auspicantur, neque vocem edere possunt: „de caelo servavi'' (i. e. de caelo auspicatus sum), sed nuntiant; quamquam eorum nuntiatio etiam ipsa ita differt a nuntiatione administri in auspiciis et auguris in actione, ut haec sit „nuntiatio cogens'', illa vero sperni possit. — Verum ob easdem causas etiam omnia signa et auspicia fortuito conspecta ex auspicandi genere excludenda sunt. Nobis quoque de hac observatione auspiciorum fortuita, praeter ea quae supra attulimus de praestantia Orientalis regionis et dextrae partis (p. 292—325), in hac quaestione diligenter agere propositum non est. Eius ratio omnium longissime pertinet; quam qui persequi voluerit, multam operam navare debebit in colligendis indiciis quae per omnes litteras antiquas sparsa iacent. Is etiam, exemplis collatis, quaerere debebit numqua libertas cuique concessa fuerit, cum fortuito signum

conspiceret, huius signi aut ad ipsius res referendi aut abominandi; quae libertas abominandi mihi quidem nulla fuisse videtur — nam ad auspicia fortuito conspecta non pertinere verba Servii supra sub 13° allata, ostendi pag. 426, et omen *avertere* sive *detestari* non in hominum, sed in deorum potestate est, quamquam homines, si precatione a deis petunt ut hi omen avertant, tum etiam „omen detestari" ipsi dicuntur [1]; omen „accipere" vero nihil aliud est quam „observare" [2] —; exponere debebit, quantum in hoc genere valeat nuntiatio, et alia huiusmodi quaeret. Nobis h. l. mentio facienda est de loco notissimo Plinii: *haec satis sint exemplis ut appareat ostentorum vires et in nostra potestate esse ac prout quaeque accepta sint ita valere. In augurum certe disciplina constat, neque diras neque ulla auspicia pertinere ad eos qui quamque rem ingredientes observasse ea negaverint, quo munere divinae indulgentiae maius nullum est* [3]. Credemusne, ei qui neget se aliquid observavisse, si nihilominus ex sua observatione noverit id accidisse, licere id pro arbitrio spernere? Plinium, cum deridendi causa illa scriberet, hoc revera significare voluisse credo. An vero credemus, legem auguralem quam consulto ambiguis verbis attulerit Plinius, hanc fuisse, ei qui ex nuntiatione aliena de aliqua re certior factus esset, si negaret se illud observavisse, id spernere licuisse? Manifestum mihi videtur, hoc verum esse, cum si alterum verum esset, ad absurdum redigeretur tota ratio observationis dirarum et ominum. Itaque locus ita interpretandus est ac si legatur: .... *neque diras neque ulla auspicia* quae nuntientur *pertinere ad eos qui .... observasse ea negaverint.* Auspicantibus quoque licuisse, nuntiationem (quae sine mandato fieret) spernere, ostendit Cato apud Fest. p. 234: *domi cum auspicamus, honorem me deum immortalium velim habuisse. Servi, ancillae, si quis eorum sub centone crepuit, quod ego non sensi, nullum mihi vitium facit. Si cui ibidem servo aut ancillae dormienti evenit, quod comitia prohibere solet, ne id quidem mihi vitium facit.* Hunc locum quoque ad nuntiationem pertinere patet. — Aliud rursus est, quod ei, qui metuit ne auspicium

---

1) Cic. Phil. 4. 4. 10; 11. 5. 11; Vatin. 16. 39. — 2) Cic. div. 1. 46. 103; Liv. 38. 18. 10; 1. 7. 11. — 3) Plin. n. h. 28. 17.

adversum fortuito observet, licet aliquid facere quo se ipse prohibeat ne id observet si forte accidat, cuius rei exempla praebet Cicero, div. 2. 36. 77; eo pertinet etiam tibicen ad sacrificia adhibitus, *ne quid aliud exaudiretur* [1]).

Supersunt autem duo auspicandi modi, de quibus mox accuratius nobis videndum erit. Alter est ex oblativis, alter ex impetrativis sive ex legum dictione. Ad utrumque adhiberi possunt signa ex avibus et ex caelo (quae si impetrativa sunt, indigent templi aërii) et signa ex extis; qui hostiam consultatoriam caedit, auspiçatur ex impetrativis, qui hostia honoraria deos mactat, si exta inspicit, auspicatur ex oblativis [2]). Quae signa unice impetrativa fuerint, infra videbimus, ad ea pertinent signa ex pullis. — Sed cum signa impetrita, ut dixi, prospera sint, duplex esse potest ratio eorum observationis. Si quis *solis* impetrativis uti sibi proposuit, neque ullam rationem habet eorum quae praeterea forte observet, auspicia prospera sunt si illa impetrantur, adversa si non comparent; sin vero etiam ratio habetur oblativorum, haec multum valere possunt ad eventum auspiciorum. Sed apud antiquos illud raro aut numquam factum est. Qui ex legum dictione auspicabantur, semper insuper observabant oblativa, ea certe quae ad genus impetritorum quo utebantur aliquatenus pertinere videbantur. Sic in hostiis caedendis, si hostia ab ara effugit, vel percussa mugitum dedit, vel in aliam partem corporis quam

---

1) Plin. n. h. 28. 2. 11; cfr. Mommsen Staatsr. 1. p. 87 n. 4. — 2) Val. Max. 1. 1. 1: „rebus divinis opera datur, cum aliquid commendandum est, precatione; . . . cum inquirendum vel extis vel sortibus, impetrito; cum solemni ritu peragendum, sacrificio". — Auspicari vero recte dici eum qui exta consulat, inprimis probatur duobus locis, quibus agitur de consultatione extorum quam faciebat is qui senatum habiturus erat; quorum alter est Varronis apud Gell. 4. 7. 9: *immolare prius auspicarique debere qui senatum habiturus esset;* alter Cic. fam. 10. 12. 3: *non satis diligenter praetorem auspiciis operam dedisse;* cfr. Serv. Aen. 1. 446: *auspicato . . . senatus haberi*, et App. 2. 116: *οἰωνίζεσθαι.* Nam cum omnes auctores, qui de interitu Caesaris et auspiciis ab illo supremo die in Curia captatis diligenter agunt, ostendant alia auspicia praeterquam ex extis non esse observata ab eo qui senatum vocasset (quod recte monuit Mommsen Staatsr. 3. p. 935 n. 2; cfr. Willems Sénat. 2. p. 173, Lange R. A. 2. p. 375), apparet, *immolare et auspicari* a Varrone dictum esse pro: *immolare et exta inspicere*, *auspiciis operam dare* vero a Cicerone dictum esse eum qui exta consuleret. — Auspicia vero dicta esse signa in sacrificiis observata (piacularia, pestifera), affirmat Festus p. 244.

oportebat cecidit, ea hostia non litatur, et auspicia habentur adversa [1]). Etiam cum ex pullis auspicarentur Romani, *silentium* observatum esse videtur [2]), i. e. absentia omnium signorum prohibentium; cum vero auspicarentur Romani ex avibus aut de caelo, semper praeter impetrativa etiam oblativorum ratio habebatur diligentissima. Quatenus autem oblativa prohibentia etiam praevaluerint postquam impetrita iam erant signa rogata, quatenus vero etiam prospera ducta sint auspicia si silentium servatum esset quidem sed signa rogata non comparerent, infra etiam videbimus. Nunc singulas observationes auspiciorum percensebimus, ut ostendamus ad utrum auspicandi modum referendae sint.

§ 2. De modis auspicandi Graecorum et Etruscorum.

Graecis minime ignota fuit ratio auspiciorum impetritorum, ut ostendunt auspicia ex extis saepissime ab eis usurpata. Sed signa ex avibus et caelestia semper eis fuerunt oblativa; templum aërium non adhibuerunt.

Quod antequam paucis exemplis confirmem, mentio facienda est unius caerimoniae Atheniensis, quae memoriae tradita est, qua ex caelo ita auspicabantur quidam ut ad rationem Romanam proxime eos accessisse confitendum sit. Pythaistae enim, sacerdotes Athenienses, cum Delphos profecturi essent ad sacra Apollini facienda, iter tum demum inire solebant, cum stantes ad aram Iouis Fulminatoris observassent fulgur super montem Harma, *ἀστραπὴν δι' Ἅρματος*; huius auspicii observationi destinati erant terni dies totidemque noctes primi mensis, deinde secundi mensis, si opus erat, totidem dies et noctes, denique totidem tertii mensis; postquam fulmen visum erat, iter inibant [3]). Huius caerimoniae ratio cognata est rationi templi aërii Romani; hoc fulmen certe impetrativum dicendum est, et in certam partem caeli directi erant qui observabant; fortasse, si amplius hanc rationem adhibere et ceteris fulminum, deinde

1) Fest. p. 244; Plin. 8. 183; Liv. 21. 63. 13 sq.; cfr. loc. quos coll. Marquardt Staatsv. 3. p. 180 n. 6. — 2) Cfr. Cic. 2. 34. 72; Liv. 10. 40. 2; Schol. Sabid. Verg. Aen. 10. 241. — 3) Strabo p. 404.

avium, observationibus etiam eam applicare placuisset Atheniensibus (nam, quantum novimus, illa caerimonia fuit sola ad quam ea ratio adhibita sit) ex ea paulatim pervenire potuissent ad templum aliquod aërium Romano simile; sed ipsa haec ratio Pythaistarum qualis revera fuit, longe etiam distat a ratione Romana. Primum templum a Pythaistis factum esse, lineis et planis ductis per caelum et terram, non accipimus; deinde causa cur versus certam regionem se verterent non fuit praestantia universa illius regionis, sed alia aliqua res fortuito accedens; si quid conicere licet, via qua legati Delphos ire solebant fortasse fuit via Thebana quae per Acharnas et Phylen in Boeotiam ducebat, quod si verum est, in ea re inesse potest causa directionis illius, quod deus in ipsa illa via signum eundi excitaturus esse credebatur qua ituri erant sacerdotes, nam Harma mons est pars occidentalis Parnetis iugi, et imminebat castello Phylae quod in illa via situm erat; nisi forte praestat suspicari, fulgura vespertina et nocturna, quae Athenis aestate creberrima conspiciuntur, crebro inprimis visa esse e regione Septemtrioni adiacente, supra hunc montem, in quo etiam propter imbres frequentes dedicatum erat sacellum Iovis Pluvii, et eam ob causam hunc montem aptissimum visum esse unde fulmen quaererent; quidquid id est, ad templi aërii Romani rationem etiam hac in re certe non pervenerunt Graeci. — Aliud exemplum observationis signi caelestis, in qua tempus quidem et signi genus ab hominibus constituebatur, locus vero deis liber relinquebatur, praebet caerimonia notissima qua ephori Spartani decimo quoque anno deos interrogare solebant, num oporteret reges, quod aliquid ex patrio ritu casu neglegentiave praetermisissent, imperio se abdicare, ut renovarentur sacra et auspicia; hoc deis ita visum esse et de ea re accuratius sibi inquirendum esse apud oracula publica censebant Spartani, si ephoris nocte illuni et innubi totum caelum hoc consilio perscrutantibus stellam labentem monstravisset deus [1]). Haec caerimonia etiam longius distat a natura rationis Romanae.

Sed ceteroquin ratione prorsus libera semper usi sunt Graeci in avibus et fulminibus observandis. Sic neminem fugiet, cum

---

1) Plut. Agid. 11.

inspiciat versus Sophoclis, auspicia quae ex avibus observavisse tradatur Tiresias, non fuisse ita ab auspice rogata ut de genere avium cum deis pepigisset, sed ultro a deis ei fuisse oblata cum ex certo consilio observare coepisset quid dei sibi monstraturi essent, et ex ipsius disciplina, non vero ex legum dictione ei fuisse interpretanda auspicia quae videret [1]. — Deinde agendum nobis est de versibus notissimis Statii, qui sunt Thebaid. 3. 450—569. Eos ad ritum auspicandi Romanum illustrandum hodie fere adhibere solent viri docti, sive quod credant ibi poetam verbis suis executum esse ritum Romanum, sive quod putent omnino nihil interfuisse inter Romanum et Graecum; nobis demonstrandum est, primum eos ad Graecum ritum referendos esse, deinde observationem ibi descriptam longe diversam esse ab observationibus quae Romae a magistratibus de templo aërio haberi solerent. Primum quod vocabula Graeca δεξιὸς (Orientalis) latine per „laevus'', ἀριστερὸς (Occidentalis) latine per „dexter'' expressit poeta, id recte fecit cum latine scriberet, et eodem iure fecit quo pro „Ζεύς'' posuit „Iupiter''. Ceterum omnia in his versibus Graeca sunt, quod maxime apparet cum duo auspices, Melampus et Amphiaraus, Graeco more coronati et vittati agant (vs. 466 et 566), non vero capitibus velatis ut solebant Romani. Deinde auspicandi ratione prorsus libera utuntur. Hoc primum apparet ex loco. Nam in loco profano, in summo monte, sub divo considunt; tabernaculum non faciunt. Deinde precantur quidem Iovem, et signa rogant; sed non certa signa certo loco videnda poscunt, neque solum fausta ab Oriente, sed *etiam*, si deis ita placeat, *prohibentia* ab Occidente; vs. 490 sqq. (cfr supr. p. 321 n. 2):

„Si datur . . . . .
Signa feras *laevus*que (ἐπιδέξια) tones; tunc omnis in astris
Consonet arcana volucris bona murmura lingua.
Si prohibes, hic necte moras, *dextris*que profundum
Alitibus praetexe diem''.

Atqui signa *prohibentia* in legum dictione rogari, signa dextra de templo aërio observari non possunt, vid. supr. p. 288. — Duo versus vero qui a nonnullis viris d. citantur, ut demon-

---

1) Soph. Antig. 999—1022.

strent auspices Statii e more Romano templum aërium fecisse, nihil valere facile ostendam. Alter est 486; poeta ibi quaerens cur avibus data sit facultas praesaga, dicit eas fortasse olim fuisse homines, in aves transformatos, qui „nostraque ab origine, versis corporibus, subiere Notos''. Ad hunc versum Weber adnotat: „*Notos:* ad meridiem enim augur Romanus obtutum dirigebat''. Sed satis patet, Notos h. l. pro aëre universo positos esse. — Alter versus est 459:

„ire tamen, vacuoque sedet petere omina caelo''.

Hunc versum Marquardt [1]) attulit, cum diceret „sedere'' esse verbum sollemne auspicantium, et id vocabulum rettulisse videtur ad auspices Romanos „immotos sedentes''. Sed sufficit parvulum errorem viri clarissimi indicare; „sedet'' enim h. l. est pro „stat vel sedet sententia'' (cf. Stat. 1. 324 et 3. 491), neque pertinet ad sessionem auspicis. Quamquam longe abest ut contendam, non sedisse auspices Graecos; Tiresiae *παλαιὸν θᾶκον ὀρνιθοσκοπὸν* memorat Sophocles (Antig. 999); sed cavendum erat ne ex vocabulo latino „sedere'' perperam in hos versus inducto efficeretur Graecos quoque *immotos* sedisse. Revera in his versibus Statii auspices Graeci minime immoti sedent; immo totius „templi caelestis'' rationem habent, et in omnes partes circumspiciunt (vs. 498—500 „postquam rite diu partiti sidera *cunctas* perlegere animis oculisque sequacibus auras''); tandem ad Orientem eos vocat (vs. 524 „huc adverte animum'') adventus agminis cygnorum qui ex Oriente advolant, „clara regione profundi aetheros'', quos frustra aggrediuntur septem aquilae; ex hoc omine deducunt, socios Amphiarai frustra adorituros esse Thebanos. Haec omnia igitur a templo aërio et certa directione quam maxime aliena sunt. Denique ipsum genus avium quod conspiciunt ostendit, auspicia ab eis visa non esse Romano more rogata neque legum dictione impetrita. Servius enim diserte tradit, Romanos ex c y g n i s, si forte apparerent auspicantibus, augurium quidem petere potuisse o b l a t i v u m nisi forte eos abominari mallent, sed cygnos non fuisse inter aves augurales quas legum dictione poscere solerent Romani auspicantes; atqui aves quarum apud Statium diligentissime rationem habent

---

1) Marq. Staatsverw. 3^2 p. 404 n. 3; cfr. Mommsen Staatsr. 1^3 p. 105 n. 4.

auspices, sunt cygni[1]). Apparet igitur rationem auspicandi Graecam, cuius exemplum praebeat Statius, prorsus liberam fuisse ab omnibus illis praeceptis et cautionibus quae adhibuerunt magistratus Romani de templo aërio ex legum dictione auspicantes.

Iamvero de hac liberiore auspicandi ratione qua Graeci usi sunt, quod praeterea addam non habeo; cum brevi percurrerem narrationem Statii, qua nulla quantum novi amplior neque plenior apud auctores veteres extat, res praecipuas simul tetigi. Hoc unum etiam animadverto: auspices Graeci antequam observandi initium faciebant, regiones (quattuor, ut videtur) determinare solebant. Apud Statium sidera adhibentur ad constituendos fines regionum in caelo (vs. 498: „rite diu partiti sidera"). Graeci igitur, cum auspicantes in omnes has regiones vicissim obtutum dirigerent, usi sunt illo „templo caelesti" quod est ipsum caelum, cuius partes apud Romanos anticam sinistram posticam dextram idcirco dictas esse tradit Varro, quod Romani crederent deos in septentrionali regione habitare (supr. p. 290). — Praeterea animadverto, etiam auxiliarios sive administros ad auspicia adhibuisse Graecos, quorum nuntiatione uterentur, ut ostendunt quae de Tiresia leguntur apud Sophoclem.

Illis autem quae de ritu Graeco a Statio didicimus statim uti nobis licet ad explicandum errorem Plutarchi, qui describens inaugurationem illam Numae regis a Livii narratione deflexit. Livius enim, ut supra ostendi (p. 283 sq.), tradidit augurem in Orientem se direxisse, et templum aërium sive prospectum certum determinavisse in quo signa observaret („intra eos fines quos feci"). Plutarchus vero: *περιεσκόπει*, ait, *τὰ παρὰ θεῶν ἐν οἰωνοῖς ἢ συμβόλοις προφαινόμενα, πανταχόσε τὰς ὄψεις περιφέρων*[2]). Is igitur in errorem incidit; sed errorem quem alioquin mirari tantum possis, nunc ratione Graeca cognita facile ignoscas homini Graeco; Plutarchus enim pro ritu Romano substituit auspicandi modum Graecis vulgatum, et eam ob causam quidem, ut videtur, quod ignorabat ritum Romanum.

Verum Dionysius quoque, quamvis ritum Romanum melius

---

1) Supr. p. 420 sqq. sub 6° et 14°. — 2) Plut. Num. 7.

exsecutus sit quam Plutarchus, tamen in simili re etiam in similem errorem incidit, is quoque ritus Graeci nimis memor ut videtur. Nam cum narret auspicia a Romulo regnum ineunte capta [1]), ita narrationem incipit: ἐπειδὴ καθῆκεν ὁ χρόνος ἀναστὰς περὶ τὸν ὄρθρον ἐκ τῆς σκηνῆς προῆλθε· στὰς δὲ ὑπαίθριος ἐν καθαρῷ χωρίῳ — εὔχετο κ. τ. λ. H. l. recte *tabernaculi* mentio fit; recte quoque in eo cubuisse, et e lectulo surgens auspicia cepisse narratur rex; sed non attendit Dionysius, ipsam quoque observationem a *sedente* in *tabernaculo* factam esse, et perperam e tabernaculo regem processisse tradit, in errorem inductus, ut videtur, more Graecorum, qui semper sub divo auspicabantur.

De ratione qua usi sint Etrusci, duas res animadvertisse sufficiat. Primum cum multas disciplinas ad sacra pertinentes quas coluerunt Romani, etiam ratione haud absimili sed magis subtili, artificiosa, implicata, superstitiosa ab aruspicibus Etruscis cultas esse sciamus, veluti extispicium, artem fulguralem, procurationem fulguritorum, artem ex avibus auspicandi, disciplinam templi caelestis sive regionum caeli, limitationem cuius prima origo ad aruspices refertur, non aeque id cadit in disciplinam templi aërii; nusquam apparet Etruscos, quos fere omnis reliquae religionis peritissimos habuerunt Romani, ab eis um-

---

1) Dionys. 2. 5. — Quae de hoc loco nuper scripsit Regell („Zu Dionysios", in Jahrb. f. Phil. 1888 p. 544—548), silentio praetermittere non licet. — Dionysius narrat *auspicia a Romulo regnum ineunte capta*, quibus regem διαμαντεύσασθαι περὶ τῆς ἀρχῆς recte dicit; si Dionysius narrasset *inaugurationem* Romuli, repugnasset traditioni vulgatae, quae collegium augurum postea demum a Romulo aut a Numa institutum esse fert. Livius autem (1. 18) et Plutarchus (Num. 7) narrant inaugurationem *Numae* („rex de se quoque deos consuli iussit"). Utramque narrationem nulla rerum perantiquarum memoria niti, sed cum fide deductam esse ex institutis recentioribus, et alteram quidem (a Dionysio) ex *primis auspiciis consulum* quae libera republica quotannis sine ulla augurum opera haberi solebant, alteram vero (a Livio et Plutarcho) ex inaugurationibus sacerdotum, quae per augurem fiebant, hodie apud omnes constat. — Has duas narrationes ita componere aequum censuit Regell, ac si *ad eandem rem* pertinerent; deinde prolixe ostendit, eas toto caelo differre; denique rectissime concludit, *non* ad eandem rem eas pertinere, et quam narret Dionysius, omnino non esse inaugurationem; revera Dionysius id diserte dicit, Romulum non inauguratum esse, sed consulum more διαμαντεύσασθαι ipsum περὶ τῆς ἀρχῆς. Nihilominus tenendum censet Regell, Dionysium illo loco voluisse *inaugurationem* describere, et eam ob causam eum „imperitiae rerum auguralium" praeclarum testimonium dedisse sine ulla causa statuit.

quam esse magni aestimatos tamquam huius disciplinae peritos; iam hoc suspicionem movet, ea disciplina caruisse Etruscos [1]. — Deinde, cum omnia signa aëria et caelestia, cum alites [2], tum fulmina [3], propriae regioni attribuere solerent Etrusci, non solius *Orientalis* regionis (quae sola in templo terrestri observari potest), sed *omnium* caeli regionum (quas sedecim habebant) aeque ab eis in auspicando ratio habita sit necesse est; atqui haec ratio observandi et aestimandi signorum secundum regiones diversas, excludit notionem et usum templi aërii. Itaque quamquam confitendum est, disciplinam haruspicum tam parum plene nobis notam esse, ut vix quidquam in universum affirmare liceat, statuimus tamen nullum apud eos templi aërii vestigium inveniri, et ea quae de eorum disciplina et ritu nobis tradita sint eiusmodi esse, ut repugnent naturae templi aërii.

§ 3. De auspiciis romanis privatorum et sacerdotum.

Romani non solum multum semper tribuerunt signis oblativis fortuito conspectis, cum aliis, tum ex avibus et de caelo, de quibus etiam praecepta nonnulla extitisse apparet in libris reconditis augurum Romanorum [4]; sed etiam utramque auspicandi rationem ab eis adhibitam esse constat.

Sed apud Romanos primum invenimus quod fortasse etiam apud Etruscos et Italicos fuit, cuius apud Graecos vero nullum vestigium apparet, ius quoddam auspicandi, quo alii careant alii utantur. Quaerentes autem, *cur* Romae certi iuris limitibus circumscripta sit potestas auspicandi quae apud Graecos omnibus erat qui periti esse sibi videbantur, et *quomodo* ea potestas facta esse possit ius, quae natura omnibus mortalibus communis esse videatur, responsum facile invenimus. Primum enim, cum auspicia Romana sola pro iustis auspiciis haberen-

1) Cic. nat. deor. 2. 4. 11; div. 2. 35. 75; cfr. Rubino Unters. p. 40 n. 4. — 2) Liv. 1. 34. 9. — 3) Dion. 9. 6 (p. 1752): *οἵ τε μάντεις ἀκριβέστερον τῶν ἄλλοθί που δοκοῦντες ἐξητακέναι τὰ μετάρσια, πόθεν τε αἱ τῶν κεραυνῶν γίνονται βολαὶ καὶ τίνες αὐτοὺς ὑποδέχονται μετὰ τὰς πληγὰς ἀπιόντας τόποι, θεῶν τε οἷς ἕκαστοι ἀποδίδονται καὶ τίνων ἀγαθῶν ἢ κακῶν μηνυταί....* — 4) Serv. Aen. 1. 398 vid. sup. p. 420 sub 6°; Cic. div. 2. 35. 73.

tur, potestatem *iuste* auspicandi non longius quam ad cives Romanos pertinere suo iure statuerunt Romani; observationes quas habere sibi videbantur peregrini, quamquam eae *nobis* certe auspicia dicenda sunt, a Romanis non dicebantur auspicia, et eos qui haberent potestatem observandi, si cives Romani non essent, ius auspicandi habere negabant. Deinde potestatem observandi, qua revera nemini interdici poterat, inutilem et vanam et ob eam causam nullam esse duxerunt Romani, nisi observatio ita referretur ad actionem aliquam privatam vel publicam, eodem die peragendam, ut per eam effectum adipisceretur cum eam aut fieri sineret aut prohiberet, aut nisi ad totum statum reipublicae ita referretur, ut effectum caperet cum publice extra ordinem aliquid decernetur. Id cum duobus modis accidere possit, ut effectum capiat observatio auspiciorum, aut si ei qui auspicatur ipsi agendum est, aut si eum qui auspicatur consulit is qui acturus vel decreturus est et ex eius responso actionem suam vel decretum pendere patitur (quod facere potest aut sua voluntate motus aut lege aliqua coactus), ea sola auspicia esse dicebant Romani, quae observaret aliquis aut *agendi causa*, aut *respondendi causa*. Quodsi de prioribus primum videmus, manifestum est potestatem auspicandi *agendi causa* vanam et irritam, i. e. nullam esse, sine potestate agendi; haec vero cum penderet ex iure agendi, etiam potestatem auspicandi agendi causa eodem hoc iure contineri arbitrati sunt Romani, et eos qui ius civiliter aut publice agendi non haberent, iure auspicandi agendi causa carere dixerunt. Ex. gr. si quis iure matrimonii legitimi carebat, is etiam iure auspicandi, iusti matrimonii contrahendi causa, carere dicendus esse videbatur. Servi vero et peregrini, qui *nihil* civiliter aut publice Romano iure agere poterant, etiam hanc ob causam iure auspicandi agendi causa carere dicebantur. — Potestas vero *ex auspiciis respondendi*, quam habebant omnes qui consulebantur aut privatim aut publice ab aliquo qui agere vel decernere poterat, tamen ad *auspicia* (Romana) non pertinere videbatur, neque esse ius ex auspiciis (Romanis) respondendi, si deferebatur ad servum vel peregrinum aliquem. Quodsi autem forte alicui placebat, seposito omni consilio civiliter aut publice agendi, et carenti omni iure ex auspiciis Romanis respondendi,

exquirere voluntatem deorum de re quae ad ipsum pertineret aut de re aliena, non eum prohibebat ius sacrum quominus observaret quod vellet, et is *nobis* quoque auspicari dicendus est, quamquam auspicari non dicebatur in iure sacro. Id facere poterant servi et peregrini, sua negotia agentes, si suae peritiae confidebant, vel de negotiis alienis, si cui eos consulere libebat. Sic apud Plautum crebro videmus servos aliquam auspicandi speciem adumbrantes, qui tamen ius auspicandi exercere dici non possunt; et peregrini Etrusci (haruspices), si de aliqua re aut privatim aut publice consulebantur, si forte observatione signorum eis opus erat ut ad consultationem responderent [1]), de ea re auspicati esse nobis quidem dicendi sunt, sed tamen iure auspiciorum nullo utebantur. Privatim autem ex auspiciis consuli et respondere poterant omnes cives Romani qui ius auspiciorum habebant; sed publice, i. e. a potestatibus publicis, senatu, magistratibus, sacerdotibus, soli augures consulebantur de voluntate deorum ex auspiciis exquirenda, et his solis fuit ius ex auspiciis publice respondendi, partim perpetuum et legitimum, cum leges praescriberent magistratibus et sacerdotibus de certis quibusdam actionibus eos consulere, partim vero repentinum, cum aliqua publica actio vel res aut Sen. Cto aut voluntate magistratus alicuius ad eos referretur ut de ea ex auspiciis responderent.

Ius auspicandi autem, quod ex iure civiliter aut publice agendi pendebat, olim eis civibus Romanis solis concessum erat, qui erant gentium patriciarum. In iure sacro enim ius auspiciorum, ut iura civilia, aut natalibus aut privilegio (cooptatione inter patricios) acquiri credebatur; cum vero plebei, qui ex civibus oriundi non erant, ad iura civilia admissi quidem essent a iure publico, sed non ex omnibus partibus cum patriciis aequiparati (inter patricios cooptati) essent, ius sacrum aliquamdiu non agnovit eorum ius auspicandi et auspicato agendi. Plebei non impediebantur quidem, quominus peragerent sollemnia sua quae aut imitando a patronis avitis sumpserant, aut a maioribus suis latinis didicerant; sed pontifices et augures, patricii omnes, cum essent soli legitimi interpretes omnis iuris sacri,

1) Cfr. Gell. 6. 1. 3, ubi haruspices Scipioni respondent *sacrificio facto*, et passim.

suo iure tenebant, ea auspicia non esse; et valebat ea doctrina, in iure sacro orta, quamdiu non placebat iuri publico eam diserte tollere aut aliqua ex parte ei derogare. Verum cum a. 449 et deinceps ius publicum coepisset, utilitatis publicae causa, ad ipsa auspicia publica aliqua ex parte admittere plebeios, vis universa illius doctrinae necessario peribat. Doctrina ipsa quidem numquam diserte sublata est, cum id necessarium non esse videretur; Romani enim semper quantum fieri poterat se abstinuerunt a regulis iuris sacri radicitus evertendis; gravissimae reliquiae eius haud paucae remanserunt in iure publico et semper valuerunt, cum id pateretur ius publicum, quarum fuit haec: „in interregno ad patricios solos redire auspicia publica magistratuum", et haec: „senatores plebeios non posse participes fieri Patrum Auctoritatis, i. e., non posse auctores fieri legi auspicato factae", et haec: „tribunos plebi non posse ex impetrativis signis publice auspicari"; sed tamen multae aliae res, quae aeque nitebantur illa doctrina iuris sacri, singulae ordine a iure publico sublatae sunt, quarum erat haec „plebeios non posse ad connubium cum patriciis et ad honores et sacerdotia admitti"; et iam a. 449, cum ius auspicandi publice ex oblativis conciliorum causa daretur tribunis plebi, facto pronuntiatum est a iure publico, auspicia plebeiorum esse iusta et Romana; et recte irascebantur plebei cum ad illam doctrinam postea etiam provocarent patricii ut commoda sua tuerentur specie iuris sacri; ab a. 449 certe ius auspiciorum Romanorum revera pertinuit ad omnes cives Romanos.

Ius auspiciorum Romanorum autem, quod omnibus civibus commune fuit, dicitur *spectio;* qui eo utitur, dicitur *spectionem, auspicium, auspicia habere.* Spectio enim, quae proprie est omnis observatio auspiciorum consulto facta [1]), quae vero apud Romanos eis solis esse dicebatur, ut diximus, qui iure suo cum effectu de aliqua re auspicari poterant, inde facta est *ius exquirendae voluntatis deorum ex auspiciis oblativis aut impetritis* [2]); idem valet de vocabulo *auspicium*, quod prorsus idem est [3]).

---

1) Fest. p. 333: „spectio in auguralibus ponitur pro aspectione". — 2) Varro l.l. 6.82: „in auspiciis distributum est, qui habent spectionem, qui non habeant". — 3) Fest. p. 2; Serv. ad Aen. 3. 375, supr. p. 419 sub 2°.

Illo sensu utrumque vocabulum adhibitum esse videtur loco quodam Festi, ubi legamus necesse est: *privatis* (pro: satis) spectio sine nuntiatione data est, ut ipsi auspicio rem gererent, non ut alios impedirent nuntiando" [1]).

Sed aliae actiones privatim omnibus civibus permissae sunt; aliae sacerdotibus; aliae vero magistratibus solis; eadem ratione igitur divisa sunt auspicia et ius auspicandi. De actionibus privatis omnibus privatim agendi causa auspicari licet; de sacerdotum actionibus vero nemini nisi sacerdotibus; de magistratuum, actionibus nemini nisi magistratibus; praeterea, ut supra dixi, auguribus etiam licet de omnibus rebus publicis sive sacris sive profanis auspicari respondendi causa si a senatu vel magistratu vel sacerdote consuluntur. Omnes observationes his regulis repugnantes, quas habere placeat cuiquam, ex. gr. si privatus se auspicia captasse dixerit de actione consulari, vel consul de actione aliqua pontificis, vel augur de actione aliqua consulis, de qua consultus non est a consule ipso qui acturus est, irritae et vanae et ob eam causam *iure* nullae sunt; augures, quatenus consulti non sunt, et reliqui sacerdotes, carent iure de actionibus magistratuum auspicandi, quia eis pro magistratu agere non licet; magistratibus vero non licet auspicari de actionibus sacerdotum, quia pro sacerdote nihil agere possunt. Eatenus igitur spectione, quam omnes cives habuisse novimus, omnes cives *carere* dicendi sunt, quatenus sermo est de genere aliquo actionum, quas aut peragere non liceat cuique, aut quas non consulendi causa ad quemque rettulerit senatus vel magistratus vel sacerdos. — Actiones sacerdotum autem, et auspicia quae de eis actionibus a sacerdotibus captari possunt, quin *publica* esse dicamus, nullum dubium est. Hoc vocabulum enim comprehendit quidquid ad rempublicam pertinet. Sic sacerdotes ipsi dicuntur *publici* vel *populi Romani* [2]); ius de sacerdotibus constitutum dicitur pars iuris publici [3]); ipsa sacra dicuntur *pu-*

---

1) Fest. p. 333. Pro *satis* Mommsen legendum esse coniecit *at his* (scil. *magistratibus*). Sed magistratus non caruisse nuntiatione, cum aliunde notum est, tum apparet ex verbis Ciceronis a. 44 dictis Phil. 2. 32. 81: „nos (augures) nuntiationem solam habemus, consules et reliqui magistratus *etiam* spectionem". Ceterum de loco Festi alibi accurate mihi agendum est. — 2) Sac. publ.: Liv. 26. 23. 7; 42. 28. 10; Cic. leg. 2. 8. 20; 2. 15. 37; Sac. Pop. Rom.: Cic. dom. 1. 1. — 3) Ulpian. Dig. 1. 1. 1. 2;

blica[1]); secundum hanc rationem etiam sacerdotes *publice auspicari* dicuntur[2]). Itaque *auspicia publica*, quae *privatis* opponuntur (quamquam eius distinctionis rarissime mentio fit)[3]) etiam comprehendunt auspicia a sacerdotibus captata. Sed cum multum interesset inter actiones sacerdotum et magistratuum, cum magistratibus, qui soli auspicia semper *a populo* accipiebant[4]), solis etiam (praeter pontificem maximum) ius esset administrandae reipublicae, iubendi, coercendi, cum populo et patribus agendi, saepe etiam opus erat distinguere horum auspicia, quae sola reipublicae administrandae et iussorum publicorum faciendorum causa captari poterant, ab auspiciis sacerdotum. Ad eam distinctionem faciendam minime aptum erat vocabulum *publicus* quia id ad utraque auspicia pertinebat; itaque hoc vocabulum omnino raro adhibetur; sed vulgo vocabulum *auspicia*, artiore sensu adhibitum, nude poni solet pro eis quae sunt *auspicia magistratuum*[5]). Cicero duobus locis quidem illi vocabulo adiungit verba: *populi Romani*, quae ancipitia essent, nisi eius verba ipsa satis declararent, quaenam essent auspicia de quibus cogitaret[6]); sed vulgo idem aeque ac reliqui auctores, omni definitione omissa, *auspicia* dicit pro *auspiciis magistratuum*, exclusis auspiciis privatorum et sacerdotum[7]); itaque ex

---

Instit. 1. 1. 4; Isidor. Orig. 5. 8: „(iuris) studii duae sunt positiones, publicum ius est quod ad statum rei Romanae spectat, privatum quod ad singulorum utilitatem... publicum ius in sacris, in sacerdotibus, in magistratibus consistit". — 1) Liv. 2. 2. 1; C. I. L. 10. 797; Asc. p. 18. — 2) Fest. p. 18: „auguraculum appellabant antiqui, quam nos arcem dicimus, quod ibi augures publice auspicabantur". — 3) Liv. 4. 2. 5: „perturbationem auspiciorum publicorum privatorumque afferre". Dio 38. 13. 3: ἡ μαντικὴ ἡ δημοσία. — 4) Cic. div. 2. 36. 76. — 5) „Auspicia *magistratuum*" legitur apud Censorin. d. n. 23. 4; cfr. Gell. 13. 15. 4 (Messalla): „patriciorum (magistratuum) auspicia". — 6) Cic. dom. 14. 38: „auspicia populi Romani, si magistratus patricii creati non sint, intereant necesse est"; hoc loco sola auspicia magistratuum significari manifestum est. Altero loco, deor. nat. 2. 4. 11: „an vos Tusci ac barbari auspiciorum populi Romani ius tenetis", omnia auspicia Romana, cum privata tum publica significantur. — 7) Cic. div. 2. 36. 76: „a populo auspicia accepta habere"; ibid.: „proconsules auspicia non habent"; nat. deor. 2. 3. 9: „auspicia ponere"; leg. 3. 12. 27; leg. 3. 3. 9: „auspicia patrum sunto" (quo loco significari auspicia quae *privatim* caperentur, perperam statuit Rubino, Unters. p. 87 n. 1, his enim *semper* utuntur patricii); Liv. 5. 46. 11: „nec nisi dictator dictus auspicia in exercitu habere". Praeterea ubi leguntur formulae: „auspicia bellica habere", „suis vel alienis auspiciis rem gerere", numquam significantur auspicia quae quis tamquam civis Romanus habet, neque quae tamquam sacerdos habet si forte sacerdotio fungitur, sed quae tamquam magistratus observare potest.

sententia verborum efficienda semper est vis huius vocabuli, cum eodem vocabulo nude posito etiam utantur auctores ad designanda auspicia privatorum et sacerdotum [1]). — Verum ius auspicandi de actionibus magistratuum, i. e. ius auspicandi reipublicae administrandae et iussorum publicorum faciendi causa, in usu loquendi Romanorum suum vocabulum accepit; hoc solum semper dicitur *auspicium* [2]). Pro eo Cicero semel eodem sensu artiore adhibuit voc. q. e. *spectio* [3]). Vocabulum *auspicium*, quamquam dubium non est quin ab etymo significet omne ius auspiciorum, quo sensu semel etiam adhibetur [4]), tamen ceteroquin constanter ab omnibus adhibitum est eo sensu artiore, quo significet ius magistratuum auspicandi reipublicae gerendae causa, neque umquam ambiguum est [5]).

Agendum nunc est de ratione, qua iure suo auspiciorum usi sunt privati et sacerdotes. — De observationibus privatorum brevissime agam; omittam totum genus sortium et extispicii, neque quaeram quales fuerint actiones quas auspicato gerere solerent; sed quid in observationibus antiquo ritu privatim habitis valuerint oblativa, quid impetrita, brevi indicabo. Videntur autem privati, quantum pro certo aliquid statuere nos patitur testimoniorum inopia, si ipsi observabant, impetrita non quaesivisse; sed praeterea saepe, si impetritis opus esse videretur, consuluisse videntur viros peritos, auspices, per quos auspicia captarent, i. e., qui *pro se* respondendi causa auspicia captarent. Illud apparere videtur ex loco Ciceronis notissimo, quo describitur observatio a muliere privatim habita, non nuptiarum causa, sed cum vellet eo die sororis suae filiam viro despondere [6]).

---

1) Liv. 4. 6. 2; 6. 41. 6 et 7; 10. 8. 9. — 2) Cic. leg. 3. 4. 10: „omnes magistratus auspicium — habento"; Liv. 5. 46. 6; 10. 7. 7; 10. 8. 9; 22. 1; 28. 9. 10 et passim; praeterea in formulis frequentissime adhibitis: „auspicium et imperium", et „auspicio alieno aut suo rem gerere". — 3) Cic. Phil. 2. 32. 81: „nos (augures) nuntiationem solam habemus, consules et reliqui magistratus etiam spectionem", i. e., auspicium, cfr. adn. 2. — 4) Fest. p. 333, supr. p. 441 n. 1. — 5) Memorabilis est locus Liv. 10. 8. 9: „penes vos *auspicia* esse, vos solos gentem habere, vos solos iustum imperium et *auspicium* domi militiaeque". — 6) Cic. div. 1. 46. 104: „L. Flaccum, flaminem Martialem, ego audivi cum diceret Caeciliam Metelli, cum vellet sororis suae filiam in matrimonium collocare, exisse in quoddam sacellum, ominis capiendi causa, quod fieri more veterum solebat. Cum virgo staret et Caecilia in

Observatio fit in sacello; mentio nulla fit finium intra quos expectentur signa, nulla signorum *sinistrorum* quibus res decerni debeat. Mulier quae auspicatur sedet quidem, sed minime immota sedet. Denique vocabulum „omen capere", quo utitur Cicero (Val. Max. scripsit „nuptiale omen petere", cfr. Stat. Theb. 3. 459), ipsum excludit signa impetrita. Quaesitum esse videtur silentium (eodem ducunt verba Catonis ap. Fest. p. 234, supr. p. 429), et praeterea expectata esse videntur signa oblativa, partim fortasse ex avibus, partim ex aliis rebus, vocibus, sonis; quae si non occurrebant, silentium aliquamdiu servatum sufficiebat; si occurrebant, utrum prospera an adversa essent, perpendendum erat. — Hoc vero, de certis quibusdam rebus privatos non ipsos auspicatos esse, sed advocavisse auspices privatos, qui respondendi causa impetrarent signa, ex aliis locis Ciceronis et Varronis apparere videtur [1]); etiam in eo carmine Horatii, in quo memoratur legum dictio in rebus privatis, non ipsa Galatea, sed pro ea ipse poeta tamquam „providus auspex" avem sinistram poscere fingitur [2]). Eodem modo respondendi causa a privatis saepe adhibiti sunt haruspices, qui exta pro se consulerent ritu peregrino; saepe etiam ab ipsis hostiae auspicandi causa caesae sunt [3]).

Non omnia auspicia Romana privatis utenda concessa erant. Pullos privatim consulere fortasse licebat, sed pullarii opera non magis uti licebat privatis, quam lictores habere, cum ea essent insignia imperii [4]). — Praeterea de caelo auspicari lege prohibebantur [5]). Id factum est quia fulmen solum auspicium erat quod tantam vim haberet, ut semper, quaecumque fuerat

---

sella sederet neque diu ulla vox extitisset, puellam defatigatam petisse a matertera ut sibi concederet, paullisper ut in eius sella requiesceret; illam autem dixisse „Vero, mea puella, tibi concedo meas sedes". Quod omen res consecuta est. Ipsa enim brevi mortua est, virgo autem nupsit cui Caecilia nupta fuerat". — Val. Max. 1. 5. 4 idem referens addit observationem hanc factam esse „nocte concubia". — 1) Cic. div. 1. 16. 28: „nihil fere quondam maioris rei nisi auspicato ne privatim quidem gerebatur, quod etiam nunc nuptiarum auspices declarant, qui re omissa nomen tantum tenent. Nam ut nunc extis, quamquam id ipsum aliquanto minus quam olim, sic tunc avibus magnae res impetriri solebant." — Serv. Aen. 4. 45: „Varro de pudicitia ait, auspices in nuptiis appellatos ab auspiciis, quae ab marito et nova nupta per hos auspices captabantur in nuptiis." — 2) Hor. Od. 3. 27. 7—13. — 3) Cfr. Cic div. 2. 17. 39. — 4) Cic. leg. agr. 2. 13. 32. — 5) Varro ap. Non. p. 92: „eo die cis Tiberim redeundum est, quod de caelo auspicari ius nemini sit praeter magistratum". Cfr. supr. p. 423.

actio de qua aliquis aliquo die id observaverat auspicans, satis valeret, si nuntiatio acciperetur, ad efficiendum ut is dies inutilis fieret comitiis habendis, ad quae sola semper prohibens erat [1]). Vis illius legis certe alia non erat quam haec, ut prohiberentur privati ante initium comitiorum adire templum magistratus et diem vitiare voce edita „de caelo servavi''.

Quod a multis asseveratur, olim vix quidquam maioris negotii Romae gestum esse de quo non consulerentur auspicia [2]), id in sacerdotes Romanos aeque cadere, neque inauspicato ad actiones suas accessisse pontifices, xviros sacrorum, ceteros sacerdotes, omnium maxime verisimile est, et adeo quidem, ut inauspicato eos egisse prorsus incredibile esse videatur, sed tamen, quod mirum est, non tanta testimoniorum copia confirmari potest quam expectaveris. Huius rei tres causae esse videntur. Prima, quod caerimoniae sacerdotales Romanae parum plene memoriae traditae ad nos pervenerunt. Apud Umbros, quorum sacrorum pars haud spernenda nobis servata est, quomodo auspicia ex avibus ceperit sacerdos, qui arcem vel populum lustraturus esset, accurate persequi possumus; apud Romanos vero, quorum caerimonias sacras summatim tantum cognovimus, auspicia in sacris capta esse exiguis tantum indiciis monemur. Secunda causa haec est, quod haud raro a sacerdotibus adhibiti sunt augures, ut hi, auspiciis *respondendi causa* captis, de voluntate deorum certiores facerent eos qui acturi erant; itaque multa sacra non facta sunt *auspicato*, quia *inaugurato* fiebant. Sic novimus inaugurato facta esse cum sacrificium illud annuum quod „ante fruges novas captas, piaculi gratia'' Cereri immolabatur, quod dici solebat „feriae praecidaneae'' [3]); tum aliud sacrificium quoddam, quod „ad placandum caniculae sidus'' quotannis pro frugibus fiebat, *canarium* dictum; id enim in commentariis pontificum dictum erat „augurium canarium'', quod nomen ostendit, sacerdotem non ipsum de eo auspicatum esse,

1) Dio 38. 13. 3: *τὰ μὲν ἄλλα οἰωνίσματα πολλὰ καὶ καθ' ἑκάστην πρᾶξιν* (valere de singulis actionibus de quibus observata essent), *ἐκεῖνο δὲ (τὸ ἐκ τοῦ οὐρανοῦ) ἐσάπαξ ἐπὶ πάσῃ τῇ ἡμέρᾳ γίγνεσθαι.* — 2) Cic. div. 1. 2. 3; 1. 16. 28; Val. Max. 2. 1. 1; Serv. Aen. 1. 346; 4. 341; Liv. 5. 52. 15; 6. 41. 4. — 3) Gell. 4. 6. 7—10.

sed augure respondendi causa adhibito inauguravisse hoc sollemne [1]); itaque de compluribus aliis caerimoniis idem factum esse haud temere suspicari mihi videor. Tertia causa vero hanc esse credo, quod in sacris omnium creberrima fuerint auspicia *ex extis*, et ob eam causam de *auspiciis* captis raro nominatim mentionem fecerint auctores nostri, quia hoc vocabulum ab etymo minus aptum videretur illi generi auspiciorum, quamquam constat hoc genus cum in *nomen* auspiciorum Romanorum esse receptum (supr. p. 430 n. 2), tum *re* ad ea signa pertinuisse quibus recte exquiri posset voluntas deorum.

Quaerentibus enim de generibus signorum quibus usi sunt sacerdotes, primum nobis occurrit ingens multitudo caerimoniarum et sollemnium in quibus ineundis hostiam immolatam esse novimus [2]). Dubium non videtur quin, si forte tali hostia non litaretur, reliqua caerimonia aut dilata aut omissa sit; sic etiam fratres arvales „hostiae litationem inspiciunt'' [3]); quin etiam in promptu est conicere eas hostias, cum illas quae proprie „praecidaneae'' dicerentur [4]), tum alias quae ad caerimoniam praeparandam immolarentur, semper fuisse *consultatorias*, ex quibus cognosceretur voluntas deorum. Ea res incerta quidem est; sed fortasse Dionysius (1. 88), ubi narrat Romulum Parilibus antequam sulcum sub Palatino duceret, *προθύσαντα τοῖς θεοῖς καὶ τοὺς ἄλλους κελεύσαντα κατὰ δύναμιν τὸ αὐτὸ δρᾶν, ὄρνιθας μὲν πρῶτον αἰσίους λαμβάνειν* —, vocabulo *ὀρνίθας* designavit auspicia *ex extis* a Romulo quaesita, ut redderet latinum illud „immolare et auspicari'', quod etiam Varro eodem sensu usurpavit (supr. p. 430 n. 2). — Festus quidem (p. 260), ubi enumerat *quinque genera signorum quae observant augures*, omisit signa ex extis; sed ea omisisse videtur non quod eorum observatio aliena esset ab auguribus, sed quod de extispicio nulla certa praecepta in libris suis haberent augures; id solum enim a Festo respici, apparet cum memoraverit signa *ex tripudiis* et *ex caelo*, quorum sane rationem habuit auguralis disciplina, ex quibus tamen

---

1) Fest. p. 45. p. 285; Plin. 18. 14; cfr. „augurium Salutis". — 2) Ex gr. in Argeis: *προθύσαντες ἱερὰ τὰ κατὰ τοὺς νόμους* Dionys. 1, 38; in Lupercalibus Serv Aen. 8. 43; kalendis in Curia Calabra Macr. 1. 15. 19; et multa alia eiusmodi. — 3) Willmanns 2879. — 4) Gell. 4. 6. 7: „quae ante sacrificia solemnia pridie caeduntur"; quas cur *piaculares* fuisse statuerit Marquardt (Staatsv. 3 p. 180) non video.

augures auspicatos non esse satis constat [1]); itaque aut locus Festi reiciendus est, aut quod dixit: *signa quae observant augures*, interpretari debemus quasi esset: *signa de quibus praecepta quaedam servant augures.* — Sed ab auguribus ipsis minime alienam fuisse observationem extorum, ostendunt verba Livii: „(augur) conspicitur cum capide ac lituo, capite velato *victimam caedit* auguriumve ex arce capit'' [2]). Cfr. Fest. p. 16; Serv. A. 3. 265. — Dionys. et Cic. tradunt, antequam Numa, *quinque* auguribus creatis, et *auspiciis maioribus inventis*, ordinasset officium collegii [3]), iam sub Romulo *tres* fuisse augures, quos sibi cooptavisset Romulus, augur summus, ut in auspicio sibi essent [4]); hos non *avibus observandis*, sed *extis inspiciendis* (παρεῖναι τοῖς ἱεροῖς) destinatos fuisse tradit Dionysius, neque οἰωνοπόλους eos fuisse sed ἱερσσκόπους, qui hodie ἀρούσπικες a Romanis dicerentur [5]); οἰωνοπόλcυς vero eos postea demum, Numa regnante, factos esse cum inventa essent auspicia maxima. Haec ficta quidem sunt; sed cum ficta sint a Romanis, quibus plenius quam nobis cognita erant officia sacerdotum Romanorum, eis probari potest augures extispicium minime neglexisse. Omnino, quamquam verisimile est haruspicinam Etruscam aliquando apud privatos inprimis permultum valuisse, et praelatam esse disciplinae Romanae, quod partim tribuendum est subtilitati qua excellebat disciplina Etrusca, e qua etiam nonnulla praecepta antea Romanis ignota in ritum Romanum recepta esse videntur [6]), partim arti divinandi superstitiosae quam cum extispicio coniungebant Etrusci, tamen disciplinam Romanam perantiquam nullam fuisse cave ne credas. Inspectio extorum ab antiquissimis temporibus usitata fuit Romanis; eius rei vestigia haud pauca sunt in omnibus rebus publicis, cum extispicium adhiberi videamus in castris, ad senatum auspicato habendum, a novis magistratibus, in multis aliis rebus [7]); sed nusquam plus

---

1) Cic. div. 2. 35. 73; 1. 15. 28. — 2) Liv. 10. 7. 10. — 3) Cic. rep. 2. 14. 26; Dionys. 2. 64. Secundum Livium augures non fuerunt ante Numam, Liv. 4. 4. 2 et 1. 18. 6. — 4) Cic. rep. 2. 9. 16; Dion. 2. 22; cfr. Cic. div. 1. 2. 3; 1. 17. 30; 1. 40. 89. — 5) Dion. 2. 22. — 6) Eo pertinere videtur quod tradit Plin. 11. 186, a. 275. — 7) Liv. 7. 8. 5; 8. 9. 1; 9. 14. 4; 25. 16. 1 sqq.; 38. 26. 1. — Gell. 4. 7. 9; Cic. fam. 10. 12. 3. — Liv. 41. 14. 7; Dio fr. 102, 12 et 45. 17. — Liv. 27. 23. 1; Obseq. 17 (a. 154); 55 (a. 90); 69 (a. 43).. — Cic. div. 1. 16. 28. Ovid. F. 4. 936.

videtur valuisse quam in sacris, et ibi exquirendae deorum voluntatis fons praecipuus fuisse videtur.

Sed haud raro etiam *ex avibus* auspicatos esse sacerdotes Romanos constat. *Sodales Titios* dictos esse tradit Varro (l.l. 5. 85) *ab Titiis avibus quas in auguriis certis observare solebant.* De avibus cogitandum esse videtur, ubi auctores vocabulum *auspicari* ad sacerdotum caerimonias adhibent; sic *posimerium* ait Fest. p. 248 *pontificale pomerium, ubi pontifices auspicabantur.* Auspicato egisse traduntur ei sacerdotes (pontifices ut videtur), qui cum arborem Iovi fulguri consecrarent, agebant *capillorem* qui dicebatur, speciem augurii stativi [1]). Augures in arce *publice auspicabantur* (supr. p. 442 n. 2); cfr. Cic. Off. 3. 16. 66: *in arce augurium augures acturi*, et supr. p. 447 n. 2. Eidem videntur, cum locus publicus inaugurandus esset, antea in arce de ea caerimonia auspicia observavisse [2]). Inprimis ubi augures auspicia respondendi causa consulebant, veluti in inaugurationibus quae dicebantur, aves semper ab eis observabantur et eae quidem impetritae [3]). De harum observationum tempore loco ritu infra etiam agemus. Signa caelestia vero ea quae fortuito se offerebant, observare quidem non solum licebat auguribus — quod revera nemo vetare poterat — sed etiam saepe, veluti inter comitia, observare eos oportebat; sed tamen *ex caelo auspicari* lege aeque prohibebantur sacerdotes atque reliqui cives omnes, et ob eandem causam quidem; haec signa utique magistratibus reservata fuerunt (vid. supr. p. 444 sq., et p. 423). *Pullariis* uti non magis licebat sacerdotibus.

De consilio quo publice auspicati sunt sacerdotes [4]), in universum valet quod supra diximus, eos omnes auspicatos esse

---

1) Serv. Aen. 10. 423. — 2) Varro l.l. 5. 47: „Sacra Via per quam augures *ex arce profecti* solent inaugurare". — 3) Plut. Num. 7 (cfr. supr. p. 283); Liv. 4. 18. 6; Dio 37. 25. 1; Obseq. 65. a. 48. — 4) Quod hodie a multis v. d. contenditur, sacerdotes Romanos omnino publice non esse auspicatos, quia omnino nihil publice *agere*, neque publice aliud facere quam *obedire*, possent, quasi lictoribus et pullariis pares essent, brevius et melius refutari non potest (praeter ea quae supra attuli quibus apparet, tali coniectura minime opus esse) quam testimonio Ulpiani (supr. p. 441 n. 3), qui dicit publicum ius non totum in magistratibus, sed partim etiam in sacerdotibus consistere, et testimonio Festi (supr. p. 442 n. 2), qui docet, sacerdotes non privatim, sed publice esse auspicatos.

agendi causa, de suis actionibus, ut eas *auspicato* peragerent, augures vero etiam *respondendi causa*, ut sacerdotes aut magistratus a quibus consulebantur edocerent de voluntate deorum. Ius auspiciorum observandi, publice respondendi causa, etiam ad ipsas actiones magistratuum nonnullas (veluti ad comitia) adhibere potuerunt augures, cum ius nuntiationis cogentis eis datum esset; praeterea etiam ad observationes perpetuas eo usi sunt, ut senatum sponte aut consulti certiorem facerent de voluntate deorum quae ad totum reipublicae statum attineret, veluti si forte aut in civitate aliquid vitii esse ex auspiciis apparuisset, quo lustratione populi opus esset, aut in consulibus, quo auspicia essent renovanda, aut si alia extra ordinem decernenda viderentur. Ea nunc mitto. Sed in eis auspiciis quae *agendi causa* captabantur a sacerdotibus, aliquid animadvertimus quod nusquam alibi nobis occurrit, quod sacerdotibus proprium fuisse videtur. Non semper enim hoc auspiciis exquirebant, utrum actio quam meditarentur posset peragi volentibus deis necne, sed nonnumquam etiam auspicia adhibebant ut scirent *quo* modo, praesertim *quo* loco aliquid faciendum sibi esset; deos interrogabant, postquam complura loca eis ostenderant, quemnam locum maxime probarent, et eum ut auspiciis indicarent, a deis petebant. Hoc genus auspicii dicitur *stativum* [1]). Eius speciem, *capillorem*, modo tetigi (p. 448 n. 1). — Aptissime autem a viro d. Regell cum hoc auspicio stativo comparata est fabula notissima quae fertur de observatione quadam ab Attio Navio habita [2]). In ea fabula Attius Navius, iuvenis disciplinae auguralis peritus, auspicia adhibuisse traditur ut uvam inveniret quae maxima esset in vinea quadam. Itaque operae pretium est de ea h. l. agere, cum praesertim ostendere posse mihi videar quo pertineat fabula. Duo loci quibus legitur, quos infra adscribam, sunt alter Ciceronis [3]), alter Dionysii [4]). Cicero tradit,

1) Serv. ad Aen. 3. 84: quo „consideratur quo in loco auguria peragi debeant". — 2) Regell, die Schautempla der Augurn, Jahrb. f. Phil. 1881 p. 617. — 3) Cic. div. 1. 17. 31: „Quid? multis annis post Romulum, Prisco regnante Tarquinio, quis veterum scriptorum non loquitur, quae sit ab Attio Navio per lituum regionum facta discriptio? Qui cum propter paupertatem sues puer pasceret, una ex eis amissa, vovisse dicitur, si recuperasset, uvam se deo daturum, quae maxima esset in vinea; itaque sue inventa ad meridiem spectans in media vinea dicitur constitisse, cumque

Navium „ad meridiem spectantem in media vinea constitisse, eumque in quattuor partes vineam divisisse", et eam descriptionem regionum lituo ab eo factam esse. Dionysius de lituo et de descriptione regionum tacet; hanc certe sine magno detrimento omittere potuit. Cur autem ad *meridiem* se direxisse dicemus Navium, cum regiones descripturus esset? Sane, ut *solem* aspiceret, e quo solo regiones ab eo constitui poterant. — De ipsa observatione brevissime deinde agunt Cicero et Dionysius, sed minime sibi repugnant. Secundum Dionysium, Navius, immotus prospiciens, legum dictionem recitavit, et signa proposcit, quae, si a dextra manu sibi apparitura essent, de tota dextra parte dimidia vineae essent valitura, si a laeva, de laeva parte. In quamnam regionem immotus prospexerit, non additur, credibile est, in Meridiem eum primum se direxisse, cum iam eo se vertisset ad regiones describendas; ita laeva ei erat pars dimidia vineae Orientalis, dextra Occidentalis. Deinde cum signa rogata ab altera parte (veluti a laeva) non comparerent, ab altera vero comparerent (*Φανέντων ἐπὶ θατέρου μέρους ὀρνίθων οἵων αὐτὸς ἐβούλετο*), duae quartae partes abdictae erant, et sciebat quonam nunc se vertere deberet. Itaque in eam dimidiam partem quae addicta erat se convertens (ut sumimus in Occidentalem), denuo alteram huius dimidiae dimidiam avibus certis abdicendam, alteram addicendam curavit; ita supererat quarta pars una, ut sumimus inter Meridiem et Occidentem. De his omnibus nihil aliud scripsit Cicero quam „cum tres partes aves abdixissent".

---

in quattuor partes vineam divisisset tresque partes aves abdixissent, quarta parte, quae erat reliqua in regione(s) distributa, mirabili magnitudine uvam, ut scriptum videmus, invenit". — 4) Dionys. 3. 70: ... *οὐχ εὑρίσκων τινὰς τῶν ὑῶν ... ἔπειτ᾽ ἐλθὼν ἐπὶ τὴν καλιάδα τὴν ἐν τῷ χωρίῳ καθιδρυμένην ἡρώων* (i. e. ad compitum proximum larum) *ἠξίου τοὺς ἥρωας συνεξευρεῖν αὐτῷ τὰς ὗς, γενομένου δὲ τούτου θύσειν αὐτοῖς ὑπέσχετο τὸν μέγιστον τῶν ἐκ τοῦ χωρίου βοτρύων. εὑρὼν δὲ μετ᾽ ὀλίγον τὰς ὗς ... ἀδημονῶν δ᾽ ἐπὶ τῷ πράγματι τοὺς θεοὺς ἠξίου δι᾽ οἰωνῶν φανερὸν αὐτῷ ποιῆσαι τὸ ζητούμενον. ἔπειτ᾽ ἐπελθὸν αὐτῷ κατὰ δαίμονα διχῇ νέμειν τὸν ἀμπελῶνα, θάτερα μὲν αὐτοῦ λαμβάνων ἐκ δεξιᾶς, θάτερα δ᾽ ἐξ ἀριστερᾶς, ἔπειθ᾽ ὑπὲρ ἑκατέρου τῶν μερῶν τοὺς παρακειμένους οἰωνοὺς ἐσκόπει. Φανέντων δ᾽ ἐπὶ θατέρου μέρους ὀρνίθων οἵων αὐτὸς ἐβούλετο, πάλιν ἐκεῖνο διχῇ διῄρει τὸ χωρίον καὶ τοὺς ὄρνιθας διέκρινε τοὺς παραγιγνομένους κατὰ τὸ αὐτό. Ταύτῃ χρώμενος τῇ διαιρέσει τῶν τόπων καὶ τὴν ἐσχάτην ὑπὸ τῶν ὀρνίθων ἀποδειχθεῖσαν ἄμπελον ὑπελθὼν εὑρίσκει βότρυος ἄπιστόν τι χρῆμα καὶ αὐτὸν φέρων ἐπὶ τὴν καλιάδα τῶν ἡρώων ὁρᾶται πρὸς τοῦ πατρός.*

Quid deinde fecerit Navius ad locum etiam accuratius definiendum, parum clarum est; Dionysius nihil de ea re dicit, apud Ciceronem lectio non prorsus constat. Si cum Lambino legimus „quarta parte quae erat reliqua in region*es* distributa" [1]), tamen dubium est utrum id ita intellegendum sit, ut Navius, eadem statione in media vinea servata, ad Meridiem Occidentalem (id enim sumpsimus) conversus, primum optionem fecerit inter Meridiem Occidentalem a Meridie et Meridiem Occidentalem ab Occidente, deinde, si haec regio addicta erat, inter duas partes dimidias Meridiei Occidentalis ab Occidente (Etruscos enim omnibus his sedecim regionibus usos esse constat, neque ignota erat ea divisio Romanis), an vero ita, ut in quarta parte vineae addicta (quam viis vel semitis ductis satis ab reliquis tribus distinctam fuisse credibile est) novam stationem quaesiverit, et in media hac quarta parte consistens, iterum cum ea egerit quemadmodum antea cum tota vinea egerat. Utrum verum sit, ex auctoribus cognosci non potest, mihi magis placet quod secundo loco posui. — Ceterum quaeritur quo pertineat haec narratio. Utique insulsa est; sed insulsissima esset me iudice, neque omnino ferenda, si nihil haberet in ritu sacrorum Romanorum, quo referri posset tamquam aliquod exemplum mythicum sive, ut nunc dicunt, fabula aetiologica. Talem caerimoniam autem in sacris Romanis facile invenimus; est caerimonia qua quotannis Flamen Dialis *vindemiam auspicari* solebat. Quotannis enim, die Vinalium rusticorum, a. d. XIV kal. Sept. [2]), sub id tempus quo vindemiam facere oportebat agrestes Latinos, flamen dialis se conferebat ad vinetum aliquod suburbanum, quod huic rei idoneum esse videbatur. Eo cum venisset, agnam Iovi caedebat; dum exta coquebantur, antequam porricerentur, uvam quaerebat quam abscideret, ut hac sollemni actione vindemiam auspicaretur et boni ominis causa quasi degustaret. Tum pronuntiabat, vindemiae tempus adesse in agro Romano et vinum legi posse. Eadem caerimonia peragebatur in ceteris

1) Lectionem codicis ita interpretari possis: „quarta parte, quae erat reliqua in regione (i. e. quae erat in reliqua regione), distributa"; sed hoc minus placet. — 2) Fest. p. 265; Varro l. l. 6. 20. — Novum vinum autem sacerdotes Iovi libaturi erant Vinalibus prioribus, a. d. IX kal. Mai, Fest. p. 374, Marquardt Staatsv. 3 p. 333.

3 0112 105477498

civitatibus Latinis a sacerdotibus publicis [1]). Quemadmodum autem indicaretur uva illa, quam primam legeret flamen, diserte traditum non est; sed maxime verisimile est (et eodem ducit *nomen* huius caerimoniae), id temere factum non esse, sed locum illius uvae auspiciis esse quaesitum; quod si verum est, dubitari nequit quin observatio quae Navio adscribitur adumbrata sit ad exemplum huius caerimoniae, quemadmodum inauguratio Numae adumbrata est ad exemplum inaugurationum sacerdotum, et multa alia. — Fortasse licet conicere, flaminem Dialem virga sua (commetaculo) [2]) usum esse ad regiones describendas, quod lituo Navium fecisse tradit Cicero. Ceterum cavendum fuit Flamini, cum adiret locum auspiciis indicatum, ubi uvam legere deberet, *ne propagines e vitibus altius praetentas succederet* [3]); haec regula enim ad illam caerimoniam maxime pertinere videtur; itaque non diu quaerendum ei erat, sed uva aliqua abscidenda erat quam e via facile attingere posset. Itaque coniectura assecuti sumus, quo referenda esset illa fabula. Utique constat, fabulam Navii nihil commune habere cum eis observationibus, quae fiebant ut sciretur utrum deus actionem permitteret an minus; in illa templum aërium non potuit in certam regionem dirigi, et legum dictionis formula singularis adhibenda erat. Itaque tollitur levissimum vestigium testimonii, quod antea afferre solebant viri docti ad probandum, Romanos auspicantes in Meridiem se direxisse (vid. supr. p. 277), et id ipsum quidem, e quo totus is error natus est.

(*Continuabitur*).

1) Varro l. l. 6. 16. — 2) Fest. p. 64 et 56. — 3) Gell. 10. 15. 13; Plut. Qu. Rom. 112.